

20

Pr. 18. num. 33.

1768, 7

22

PROGRAMMA,

QVO AD

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DIFFERENTIAS QVASDAM INTER SPOLIA ET
ALIAS DEIECTIONVM SPECIES SISTENTEM,

QVAM

PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
DOMINVS CANDIDATVS

HERMANN. FRIEDERICVS
BECKMANN,

ADVOC. ORDIN. IN DICAST. SVMMO PROV. ET AVL. MEGALOPOL.
IMMATICVLAT.

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS AC PRI-
VILEGIIS DOCTORALIBVS CAPESSENDIS

DIE AVGVST. A. O. R. MDCCLXVIII.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBlice VENTILABIT,

INVITAT :

INSIMVLQVE

QVAESTIONEM, AN ET QVATENVS COLONO REMEDIVM
SPOLII COMPETERE POSSIT,

VLTERRIS EXPONIT

HERMANNVS BECKER,

LL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT. IVRID. p. t. DECANVS.

GRYPHISWALDIE

TPIS A. F. RÜSE


BEG. ACAD. TYPOGR.



h12



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





Optimo, maximeque fundato iure, ipsaque in foro obuia experientia teste, ICTus celeberrimi nominis, cuiusque fama post fata etiam floret, & semper immortalis erit, LEYSERVS in *Spec. 451. Med. 1-3. suarum meditationum ad pandectas*, intricatissimam vocat doctrinam de possessione, idque vitio veterum imputat ICTorum Romanorum, qui possessionis naturam non satis explicauerunt, & nec descriptionem quidem paullulum accuratam posuerunt, deinde discrimen inter possessionem naturalem & civilem excogitarunt, id vero tam incerte, tam confuse applicarunt, vt ipsi id parum intellexisse videantur. Illustrat hanc suam meditationem *Vir celeberrimus* exemplo coloni, cui possessionem leges mox tribuunt, hincque & remedium vnde vi concedunt, mox denegant & possessionem & hoc in specie remedium, sicuti leges adlegatae docent.

4 ☉ ☽ ☿

Digna est haec vltima specialis adfertio, quae hic aliquatenus vltius inuestigetur, imprimis quia *praestantissimus Dominus Candidatus*, cuius specimini inaugurali hoc meum programma inuitatorium iungo, in ipso suo specimine facultati oblato eam defendit sententiam, quae colono remedium spoliū denegat, & dubio a memet priuatim moto contra hanc thesin nimis generaliter propositam, priuatos inter parietes mentem suam eodem modo, sicuti in hoc programmate propono, mihi exposuit.

Vt eo distinctius autem hoc fiat, operae pretium iudico generalia quaedam de definitione possessionis, eiusque accurata distinctione in naturalem & civilem praemittere, & tunc per applicationem horum praemissorum ad leges, quae hac in materia de colono loquuntur, reconciliationem tentare.

In genere considerata possessio inuoluit detentionem qualemcunque, seu insistentiam rei, quippe quae, sicuti verba *ICTI Pauli* sonant in *L. 1. pr. D. de adquir. vel amitt. possess. a pedibus* (vt *Labeo ait*) appellata est, quasi positio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit, quam Graeci *κατοχήν* dicunt.

Hanc autem detentionem re recte pensitata dividere licet, prout detinens vel absque animo rem sibi habendi, seu absque intentione de re proprio nomine disponendi, rem detinet, vel cum animo eam sibi habendi, priori in casu in *possessionem nudam*, seu *simplicem*; posteriori autem in casu *possessionem iuridicam*, seu *in sensu iuris talem*.

Simplex illa seu nuda possessio, qualem omnes exercent, qui plane nullo iure existente possident, & hinc nonnunquam etiam a *ICTIS* romanis naturaliter possidere

dere dicuntur: *L. 1. pr. adl. L. 38. §. 7. D. de verb. obl. L. 2. §. 1. D. pro emtor.* in se considerata possessorem in sensu iuris plane non facit detinentem, nec iura possessionis, aut actiones exinde profluentes producit, seu eiusmodi iura, quae possessio ut causa tanquam effectus suos prognerat. Licet enim eiusmodi nudus possessor tamen ex aequitate ad exhibendum teneatur, *L. 3. in f. D. ad exhib.* & actione reali conuentus nominatione auctoris se liberet ab actione: *L. 2. C. ubi in rem.* non tamen omnia iura, quae possessori competunt, aut intuitu eius obtinent, statim sunt iura possessionis. Potius tunc demum iuribus possessionis legitime adnumerantur, si possessori, qua possessori, seu qua tali competunt, ita ut possessio causa dici possit, quae haecce iura tanquam effectus sistit. Et hinc in *L. 12. §. 1. D. de adquir. vel amitt. possess.* Ulpianus optima ratione adlegat, quod ius, vi cuius possidemus, *proprietas*, nil commune habeat cum possessione, cum iuribus possessionis, quae possessori, qua possessori, vi possessionis competunt. Vnde & de remediis possessorii eiusmodi nudi detentoris quaerere per se iam frustraneum apparet negotium.

Quod autem ad possessionem iuridicam, seu in sensu iuris talem, attinet, ea semper vi definitionis praesupponit animum rem sibi habendi, seu intentionem detinentis hac de re in suam utilitatem disponendi. Hic autem animus rem sibi habendi, quando coniunctus deprehenditur cum animo domini, seu cum intentione detinentis hac de re proprio nomine pro suo arbitrio disponendi, *possessio civilis* audit: contra ea autem, quando animus domini in detinente non adest, licet aliud ius intuitu rei sibi competens, & pro huius

qualitate de re proprio quidem nomine, sed ex limitibus concessionis sibi factae, non vero pro arbitrio suo, disponendi sibi tribuat, *possessionis naturalis* nomine venit. Haecque ratione conductori leges, licet detineat rem conductam cum animo sibi habendi, non autem cum animo domini, hincque naturaliter possideat: *L. 7. §. 11. D. comm. diuid.* tamen possessionem, civilem sc. denegant: *L. 19. pr. D. de acquir. vel amitt. possess.*

Haec itaque possessio conductoris, licet sit solummodo naturalis, non civilis, tamen vera est possessio in sensu iuridico, seu sensu iuris talis, & hinc quoque iura possessionis, licet non omnia, tamen quaedam certo respectu producit, & hinc, quia iuribus huius possessionis quoque annumerari debet ius experiendi remediis possessoriis seu interdictis, quaestio iam oritur, an conductor quoque & quousque remedia possessoria, inprimis interdictum de vi & vi armata, seu hodiernum remedium spoli, instituire valeat. Leges romanae haec in re sibi inuicem contradicere videntur. Denegat conductori hoc remedium Vlpianus in *L. 1. §. 10. D. de vi & vi armat.* quando uxori, cui a marito durante matrimonio res donata est, & quae postea ab ipso marito ex possessione deiecta est, ius vtendi hoc interdicto concedit, licet marito reuocatio donationis durante matrimonio licita maneat, sed nihilominus in verbis mox sequentibus: *non tamen si colonus*, conductori abiudicat. Sed ipse Vlpianus sibi contrarius videtur, si modo considerentur eius verba proxime antecedentia in *d. L. 1. §. 9. D. eod.* quibus in genere & naturali possessori hoc interdictum tribuit, ergo & conductori, qui non nudus est detentor, sed veram possessionem naturalem habet. Immo magis adhuc contrarius videtur Marcellus ICUS
in

in *L. 12. D. eod.* verbis: *igitur interdictum, unde vi colono competiturum; & Papianus in L. 18. D. eod.* verbis: *emtozem quoque, qui postea vim adhibuit, & ipsum interdicto colono teneri;* Et hae leges ultimo loco adlegatae, inprimis vero *L. 18. cit.* mouerunt quoque BÜHMERMVM in *Tr. de action. S. 2. Cap. 24. §. 32.* ad defendendam sententiam, quod & colonus, si ab ipso domino deiectus, contra ipsum dominum hoc remedio uti possit. Nam *J. 14. eod.* simul a BÜHMERO ad probandam hanc suam sententiam cit. nil probat, nec de hoc argumento per se, nec per argumentum agit.

Sed si dicere fas sit, quod rem rite pensitatam attinget, in eo mihi a veritatis tramite aberrare, & plusquam in lege est, exinde colligere videtur BÜHMERMVS, quando ad hanc sententiam ex illa lege deducendam prouocare vult ad id, quod emtor, cui fundus colono locatus venditus, quique iussu emtoris in vacuam possessionem ire contendit, quemque vero non obstante domini iussu colonus intrare prohibet, quia vnam personam cum domino repraesentat, quando postea vi colonum expellit, ex Papiniani sententia hoc remedium a colono expulso contra se institutum admittere debeat, quasi hoc casu vnum idemque sit, an colonus a domino, an ab emtore expulsus sit, hincque colonus hoc remedium recuperandae possessionis contra ipsum dominum expellentem, an contra emtorem expellentem instituat. Nondum enim in hoc casu a Papiniano proposito emtor expellens colonum, postquam antea emtorem intrare prohibuit, cum domino pro vna persona haberi, & personam domini simul sustinere potest. Intuitu coloni enim dominus utique possidet, ius autem coloni contra dominum ex contractu descendit, non ex posses-

possessione. Hinc quando dominus expellit colonum, laedit contractum, ita ut colonus remedio ordinario locationis conductionis experiri possit, non autem deiicit colonum ex possessione, quippe qui contra dominum plane non possidet, sed potius solius domini nomine possidet, ergo nec remedium possessorium a colono contra se mouendum admittere debet, nisi forsitan per verba finalia *L. 12. D. eod. iuxta ac probabilis causa sit colono*, vnde praeter ius ex contractu acquisitum & veram possessionem contra ipsum dominum adquisitam adlegare valet, sicuti est, quando v. c. propter pecuniam asssecurationis praenumeratam, & non restitutam, colono ius retentionis cum actuali fundi hypothecca coniunctum stipulatum sit in contractu. Tunc enim & in sensu iuridico contra ipsum dominum colonus, licet naturaliter solum, possidet, & hinc, quando eo non obstanté de facto a domino expellitur, ex vera possessione deiicitur, & remedio spoli contra ipsum dominum experiendi ius habet. Sed emtor, quando iussu domini in vacuum haectenus possessionem ire vult, antequam colonus eum intrare prohibet, tanquam mandatarius domini quoque personam sustinet, & possessor ipse iudicatur propter traditionem fundi longa manu a domino factam, quia haec traditio longa manu facta aeternum possessionis adquisitiuum corporale emtori sistit. Sed constat iam ex principiis notoriis, eiusmodi traditionem longa manu factam eousque solummodo effectus suos producere, quousque nemo corporaliter occupationi resistit, per hanc autem resistantiam omnem effectum, & hinc quoque vim adquisitiuam possessionis perdere. Quando itaque secundum casum a Papi-niano propositum colonus emtorem intrare prohibet, omnis possessio emtori acquisita tollitur, & desinit age-

re

re ex persona domini, hinc quando nihilominus postea emtorem expellit, tanquam tertius agit, non tanquam vna persona cum domino, & hinc reuera vi deicit colonum ex possessione sua naturali, ergo & spoliat, & remedium spoli, non tanquam vna persona cum domino, sed tanquam tertius deiciens admittere tenetur. Id. quod verba finalia *L. 18. D. cit.* satis exponunt: *Non enim ab ipso, sed a venditore, per vim fundum esse possessum, cui possessio esset ablata. Quaesitum est, an emtori succurri debeat, si ex voluntate venditoris postea colonum expulisset: Dixi, non esse iuuandum, qui mandatum illicitum susceperit.*

Plene itaque accedo LEYSERO *l. c.* quando ad reconciliandas leges romanās hac in doctrina distinguit inter colonum, qui hoc remedium intendit contra tertium deicientem, & tunc admittit: per *L. 1. §. 9. L. 12. & L. 18. D. eod.* & qui instituere vult contra ipsum dominum, vbi denegat. per *L. 1. §. 10. eod.* nisi forsitan per verba finalia *L. 12. in f. D. eod.* iustam ac probabilem causam possessionis & contra dominum acta competentis docere possit. Sed tamen in eo adfentire non possum LEYSERO *l. c.* quando contendit, id, quod iuri ciuili desit, iure canonico suppletum, atque remedia possessoria quoque aduersus ipsum locatorem & dominum vim facientem tributa esse. Ad minimum *cap. 4. X. ne praelat. vic. suas vel ecclaf.* eum in finem ab ipso adlegatum, non probat, quod probandum est. Verba enim *d. cap.* non loquuntur de remedio spoli & possessorio, ad minimum hoc ex tenore generali verborum non patet, quae licet restitutionem iniungant, tamen de remedio ordinario partim ex natura rei & analogia iuris, partim eo magis illa ex ratione intelligenda

b

genda manent, quia in verbis: *quatenus si conspiterit ita esse*; sufficientem causae cognitionem in facto praesupponunt, qualem remedium spoli non admittit, ubi de sola possessione agitur.

Sufficiant haec pro praesenti meo scopo, quo viam solummodo mihi aperiendam intendo ad negotium principale huius programmatis. Nomen enim suum *Praestantissimus atque Doctissimus Dominus Candidatus, Dominus HERMANNVS FRIEDERICVS BECKMANN, in iudicio prouinciali & aulico Megalopolitano, quod Gustrouii est, immatriculatus aduocatus ordinarius*, dedit ordini nostro ad recipiendos summos in utroque iure honores, & obtulit dissertationem suam inauguralem, sistentem *differentias quasdam inter spolia & alias deiectionum species*, felici & proprio Marte elaboratam, simulque curriculo vitae suae oblato se dignum, cui vltiores conferantur academici honores, legitimaui. Inferam illud ita conceptum:

„In hanc lucem prodire me iussit summum numen Anno MDCCXXXVI. Nonis Martii Marlo-
 „vii oppidulo quodam Megapolitano. A patre
 „originem duco, qui ibidem sacerdotali munere
 „olim functus, *Hermannno Dauide Beckmanno*, iam
 „e viuis egresso. Matrem veneror *Catharinam*
 „*Sophiam Pfingsten*, diu placide defunctum. A-
 „uus paternus mihi exstitit *Hermannus Beckmann*,
 „Mercator & Senator Sedinensis, maternus vero
 „Mag. *Hermannus Pfingsten*, Marlouiensis eccle-
 „siae sacerdos. Pater me ipse initio primis litte-
 „rarum artiumque, quae humaniorum nomen for-
 „titae sunt, elementis imbuit. Deinde mihi dedit
 „praeceptores domesticos. Iam vtile ducebatur
 „me

„me in Gymnasium Ducale Gustrouienſe mittere,
 „cuius primam claſſem per duos frequentavi an-
 „nos ab anno nempe MDCCLIV. vsque ad annum
 „MDCCLVI. ibique ſolida atque ſollicita inſtitutio-
 „ne Domini Reſtoris Mag. Prieſſii, & Conreſtoris
 „Hollmanni uſus ſum. Biennio hoc exacto ad al-
 „tiora adſpirabam, & habita publica oratione va-
 „ledictoria cum votis & gratulatione praecepto-
 „rum in academiam tranſgreſſus ſum Roſtochien-
 „ſem. In qua celeberrima muſarum ſede in nu-
 „merum ciuium academicorum cooptatus a Do-
 „mino Eſchenbachio, Profefſore philoſoph. & poe-
 „ſeos, tunc tempore Reſtore Magnifico, per duos
 „iterum ad ſtudia incubui annos ab anno MDCCLVI
 „ad annum MDCCLVIII. & praelectionibus ibi in-
 „terfui & philoſophicis & praefertim iuridicis. In
 „ſcientiis philoſophicis uſus ſum inſtitutione Domi-
 „ni Eſchenbachii, olim Prof. philoſ. ord. iam beate
 „defuncti, Domini Aepini, iam Prof. Bützou. &
 „Sereniſſ. Duci Megapol. a conſil. aul., vt & Do-
 „mini Quiſtorpii, Prof. philoſ. iam b. m. ſub cuius
 „quoque praefidio diſſertationem: *de bello puniti-*
 „*uo ſecundum ius naturae haud illicito*, publice de-
 „fendi. In iuridicis vero interfui praelectionibus
 „Domini Hermannii Beckeri, antecelloris iam Gry-
 „phici, & Praefidis atque Decani mei ſpectabiliſſi-
 „mi, & Domini Balken, Iur. Prof. Roſtoch. ord.
 „& iam Conſul. ſimul ciuit. Roſtoch. cuiusque ſub
 „examine quoque prima mihi iam data licentia
 „gradum doctoris ambiendi. Anno ſequenti
 „MDCCLIX. lenam me contuli, ibique praelectio-
 „nes celeberrimorum Doctorum *Daries, Helfeld,*
 „*Schmidt,*



„Schmidt, Suckow & Möckert frequentavi tam in
 „philosophicis quam iuridicis. Hic peractotrium se-
 „mestrium spatio in Gustrouiensem ciuitatem redux
 „humanissime receptus sum ab affini meo & fauto-
 „re numquam satis a me venerando Domino Ca-
 „rolo Sibeth, Licentiato iuris & practico celebra-
 „rimo, ciuitatis Gustrouienlis Syndico meritissimo
 „ac Serenissimo Duci Megapolitano a consiliis au-
 „licis, qui multis variisque beneficiis me cumula-
 „uit, in foro versari me docuit, fidem clientum
 „mihi conciliauit, cui, vt paucis me expediam,
 „omnia, si illa excipiam, quae diuinae gratiae de-
 „beo, accepta refero, viro numquam satis a me
 „colendo deuenerandoque. Ab eo in forensi cau-
 „saram pertractatione & processu edoctus, exa-
 „mini Iudicii Prouincialis Aulici me sistens ab Il-
 „lustrissimo hoc Dicasterio receptus sum in nume-
 „rum ordinariorum aduocatorum. In quo vitae
 „genere hucusque versatus, vt & constitutionibus
 „prouincialibus patriae meae de promotione ad-
 „uocatorum academica morem geram, facultati
 „iuridicae Rostochiensis ad probandos studiorum
 „in examine profectus memet ante menses sicuti,
 „ibique adprobatas data mihi a facultate exami-
 „nante alia in musarum sede recipiendi honores,
 „hic profectus, iam illustri huius almae Ordini
 „Ictorum ea, qua decet, obseruantia & pietate,
 „cum oblatione speciminis inauguralis publicae a
 „me defendendi, precès expono pro obtinendis
 „priuilegijs doctoralibus.“

Praestantissimum hunc Dominum Candidatum au-
 tem iam in Facultate Iuridica Rostochiensis examen ri-
 goro-

grosfum summa cum laude sustinuisse, inque eo talem se praestitisse, qualem statuta desiderant, & vt promoveri possit exigunt, tesserae Illustris Facultatis Iuridicae Rostochiensis sub sigillo facultatis expeditae, & originaliter nobis exhibitae probant, quarum in publicum documentum formam externam, integrumque tenorem inserere meum iudico officium. Huius ergo sunt tenoris:

Dominum HERMANNUM FRIEDERICUM BECKMANN, Megapolitanum, Dicasterii Aulici provincialis, quod Gussrovii est, Advocatum ordinarium celeberrimum, in Facultate juridica Rostochiensis examen sic dictum rigorosum subiisse, & se in tritura forensi versatum, nec non in genere talem, qualem summi in iure honores, quos adipisci cupit, praesupponunt, praestitisse, ita ut istis honoribus dignus censendus sit, sub sigillo Facultatis & p. t. Decani subscriptione corroboratur. Datum Rostochi die XVI. Julii Anno MDCCLXVIII.

(L.S.F.)

*Jacobus Henricus Balcke,
Fac. Jurid. h. Dec.*

Vi licentiae a facultate iuridica Rostochiensis Praestantissimo Domino Candidato concessae, vt in alia mularum sede pro summis in iure honoribus academicis consequendis dissertationem suam inauguralem publicae subiiciat, ibique collatos honores accipiat, ad nostram almam accessit, mihi que p. t. nostrae facultatis Decano nomen dedit, & oblatam suam in-



auguralem dissertationem, quae sistit *differentias quasdam inter spolia & alias deiectionum species*, vt finem proposito suo imponat futuro die xx Augusti publice amicae disquisitioni subiicere, eamque contra obmota modeste pro cathedra defendere decreuit, cui actui solemnī, vt *Magnificus Academiae Procancellarius, Magnificus Academiae Rector, Generosissimus Regii Dicasterii Director, utriusque Illustris Collegii Proceres, omnium ordinum & Facultatum Domini Doctores, Licentiati & Magistri Fulgidissimi, ciuitatis huius Consules & Senatores Amplissimi, plurimum Reuerendi Ecclesiae Ministri, Generosa & Leticissima ciuium nostrorum academicorum corona, omnes litterarum, litterarorumque fautores, studiis, imprimis iurisprudentiae, bene cupientes, interesse, suaque illustri & honorifica praesentia actum hunc exornare velint, eo, quo par est, & decet, cultu, collegii nostri, mei & Candidati nomine rogo, peto, & inuito.*

P. P.

SVB SIGILLO FACULTATIS IVRIDICAE.

GRYPHISW. B.

AVGVST. MDCLXVIII.




Greifswald, 8155, 1762-63

ULB Halle

3

005 372 011







20

Pr. 18. num. 33.

176817

22

PROGRAMMA,

QVO AD

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
DIFFERENTIAS QUASDAM INTER SPOLIA ET
ALIAS DEIECTIONVM SPECIES SISTENTEM,

QVAM

PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
DOMINVS CANDIDATVS

**HERMANN. FRIEDERICVS
BECKMANN,**

ADVOC. ORDIN. IN DICAST. SVMMO PROV. ET AVL. MEGALOPOL.
IMMATICVLAT.

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS AC PRI-
VILEGIIS DOCTORALIBVS CAPESSENDIS

DIE AVGVST. A. O. R. MDCCLXVIII.

IN AVDITORIO MAIORI

PVBlice VENTILABIT,

INVITAT :

INSIMVLQVE

QVAESTIONEM, AN ET QVATENVS COLONO REMEDIVM
SPOLII COMPETERE POSSIT,

VLTERIVS EXPONIT

HERMANNVS BECKER,

LL. DOCT. ET PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT. IVRID. p. t. DECANVS.

GRYPHISWALDIE

TYPIS A. F. RÖSE

REG. ACAD. TYPOGR.

